AD CAPITVLVM XXIX

1. Orpheus et Eurydicē

5

10

15

20

25

Prheus nōbilissimus fidicen atque poēta ēgregius fuit, quī inde ā puerō tam pulchrē canēbat, ut nōn sōlum bēstiae ferae ad eum accurrerent, vērum etiam rapida flūmina cōnsisterent, nē strepitū cantum eius turbārent, ac saxa ipsa arborēsque (mīrābile vīsū!) ad audiendum venīrent.

Cum igitur Orpheus Eurydicēn, pulcherrimam virginem, valdē amāret neque iam sine eā vīvere posset, eam uxōrem dūcere cupiēbat, quae tamen eius amōrem contemnere vidēbātur. Brevī vērō, cum cotīdiē trīstissimum Orpheī dē suō amōre dēspērantis cantum in silvīs audīret, virginis animus ita permōtus est, ut ipsa eius amōre magis magisque caperētur.

Laetī igitur et māximō amōre coniūnctī, Orpheus et Eurydicē ad nūptiārum diem pervēnērunt; quī tam fēlīcēs omnibus esse vidēbantur, ut nēmō fortūnam eōrum umquam mūtārī posse putāret. Tanta tamen erat eōrum laetitia, tam grātae omnibus illae nūptiae, tam multae omnium laudēs, ut Aristaeus, pāstōr quī iam anteā Eurydicēn amāverat, nōn sōlum trīstitiā, vērum etiam magnā invidiā afficerētur, cum sē nihil iam ex virgine spērāre posse vidēret. Cum igitur illa in silvā versārētur ubi flōrēs carpere volēbat, ut mēnsam ōrnāret, Aristaeus, quī post arborem sē occultābat, eam persequī coepit.

Eurydicē, cum prīmum hoc animadvertit, tantō illīus virī metū affecta est, ut, omnia perīcula oblīta, per altās herbās et inter dūra saxa nūdīs pedibus celerrimē curreret, ut ab eō fugeret et ad Orpheum, marītum suum amātissimum, redīret. Cum vērō iam eum haud procul stantem vidēret, et ut sibi

Eurydicē -ēs f

ēgregius -a -um = melior cēterīs, optimus inde ab ↔ ūsque ad

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

con-temnere = parvī aestimāre

trīstissimum cantum

nūptiae - \bar{a} rum f = dies quo vir et femina coniugēs fīunt

grātus -a -um = qui dēlectat Aristaeus - $\bar{1}$ m

animadvertere -vertisse

cum... vidēret, et cum... clāmāret

30

35

40

45

50

55

60

rēgnō retinērent.

auxilium ferret clāmāret, serpēns, quī in herbā latēbat, eius nūdum pedem dextrum momordit; quō morsū statim misera fēmina periit. serpēns -entis f
latēre = se occultāre
morsus -ūs < mordēre

Tum Orpheus, quī, uxōre mortuā, dē suā quoque vītā dēspērābat: "Heu!" exclāmāvit, "Quid nunc faciam? Quid spērem? Quōmodo vīvam posthāc? Cūr mē īnfēlīcem relīquistī, mea cārissima coniūnx?" Per multōs diēs, trīstis et maestus, neque cibum neque aquam sūmere voluit. Postquam autem multīs cum lacrimīs amātissimae uxōris mortem flēvit, cum sentīret sē nūllō modō sine Eurydicē vīvere posse, audācissimum cēpit cōnsilium: cum enim iam parvī aestimāret vītam, postquam tam iūcunda sibi uxor ērepta erat, id facere cōnstituit, quod nēmō anteā cōnārī ausus erat, nec ūllīs perīculīs dēterrēbātur.

īn-fēlīx -īcis ↔ fēlīx relinquere -līquisse -lictum cārus -a -um = quī dīligitur

flēre -ēvisse

iūcundus -a -um = quī dēlectat audēre ausum esse (perf dep)

rēgnum $-\bar{\imath}$ n = rēgis imperium Proserpina -ae fpetere (ab aliquo) = poscere iter itineris $n < \bar{\imath}$ re

Ad mortuōrum igitur rēgnum dēscendere voluit, ut a Plūtone, rege Inferorum, qui ibi cum Proserpina, eius coniuge, imperābat, peteret ut Eurydicē sibi redderētur. Itaque tam temerārius fuit, ut, sūmptīs fidibus suīs atque itinere sub terrā facto, ad illum terribilem regem perveniret, quem, cum iam omnia cētera sua dēspērāret, id ūnum ōrāvit, ut sibi licēret uxorem sēcum in vītam et ad solis lūcem redūcere: "Permitte mihi, Plūtō," aiēbat lacrimāns, "meam coniugem mēcum referre, ut cum eā reliquam vītam vīvam!" Quod vērō cum sē haud facile impetrāre posse vidēret, interrogāvit num sibi licēret carmen canere. Rēx et rēgīna, cum studiōsī essent eius cantum audiendī, quia iam quanta eius canendī ars esset sciēbant, id eī permīsērunt. Sūmptīs igitur fidibus, Orpheus tam pulchrē canere coepit, ut non solum mortuorum umbrae, allectae sonō, accurrerent, vērum etiam dūrissimī rēgis rēgīnaeque animī tam trīstī cantū movērentur: quī, maestā

re-ferre

impetrāre = consequi (id quod poscitur) rēgīna -ae f= rēgis coniunx

Postquam vērō ille fīnem canendī fēcit, Plūtō sīc locūtus est: "Tū, Orpheu, cantū tuō animōs nostrōs vīcistī: redī igitur ad superōs, et tēcum Eurydicēn dūc, hāc tamen lēge, nē respiciās nēve ūllō modō uxōrem intueāris, antequam ad vītam

Orpheī võce ad fidēs canentis audītā, ita perturbātī sunt, ut dubitāre inciperent utrum eī uxōrem redderent an in suō

vincere vīcisse victum superī -ōrum m pl: hominēs vīvī lēx lēgis f re-spicere-spexisse -spectum \leftrightarrow prōspicere

65

70

75

80

85

90

95

accipere -cēpisse -ceptum


 $d\bar{e}s\bar{i}derium -\bar{i} n = cupidit\bar{a}s (re\bar{i} amissae)$

 $\bar{a}rd\bar{e}re = \bar{u}r\bar{\imath} (anim\bar{o})$

ferē = paene

īnsānia -ae f= animus non sānus crūdēlis -e = saevus atque inhūmānus retro = illūc unde vēneram (\leftarrow)

circum-dare -dedisse -datum = cingere



spernere = parvī aestimāre

iuvenis -is m = vir circiter XXX annōrum

Cerēs -eris f | Prōserpina -ae f

largīrī -ītum esse

lūcemque redeās: quod sī aliter faciēs, numquam iterum coniugem tuam vidēbis!"

Quā lēge acceptā atque magnā laetitiā affectus Orpheus, quem Eurydicē mūta sequēbātur, ad superās terrās redīre coepit. Cum vērō iam procul sōlis lūcem aspiceret, neque ūllum sonum post sē audīret, dubitāns num Eurydicē sē sequerētur, tantō metū captus est, ut iam dēsīderium uxōris rūrsus videndī, quō ārdēbat, retinēre nōn posset: cōnstitit igitur nōn iam patiēns morae, et ferē sub ipsā lūce, amōre victus, respexit. Tunc illa: "Quae īnsānia" inquit, " et mē et tē perdidit, Orpheu? Ecce: crūdēlis fortūna mē iterum retrō vocat; mortis somnus oculōs rūrsus operit. Iam valē! Ad Īnferōs iterum trahor, obscūrā nocte circumdata, ad tē frūstrā extendēns manūs, mī vir: heu! nōn iam tua erō...

Cum tālia dīceret, ut fūmus in aera ē cōnspectū fūgit, neque Orpheum vidēre potuit frūstrā prehendentem umbrās, et multa volentem dīcere. Quid ille faceret? Quō īret, coniuge bis ēreptā? Quō flētū, quā vōce Plūtōnis et Proserpinae animōs movēret? Prohibēbat rēx Īnferōrum, nē iterum ad suum rēgnum vīvus dēscenderet.

Diē flēbat, flēbat noctū Orpheus, quī, hominēs fugiēns, in silvīs cum ferīs errābat, neque ūllam iam fēminam vidēre volēbat: ūnam Eurydicēn quaerēbat, eam sōlam invocābat, cēterās omnēs spernēbat. Tunc fēminae īrātae eum pūnīre cōnstituērunt: noctū igitur eum circumdedērunt et saevē necāvērunt: deinde miserī iuvenis membra, ex corpore scissa, per campōs in variās partēs iēcērunt. Cum vērō aquae flūminis, in quod erat ēiectum, caput ē collō ēreptum sēcum traherent, vōx ipsa et frīgida lingua vocābant: "Eurydicē, Eurydicē...

2. Cerēs et Proserpina

erēs est dea frūmentī et frūgum omnium, quae in agrīs creseunt et ab agricolīs metuntur, cum prīmum mātūrae videntur esse. Ipsa hominibus sēmina largīta est atque mōnstrāvit quōmodo in agrōs spargerent ac sererent, ut terra magnam frūmentī cōpiam ferret.